

With Compliments
Professor A. E. H. Love.

34, St. Margaret's Road, Oxford.

LAUDATIO
AEMILII CARTAILHAC
DOCTORIS IN SCIENTIA HONORIS CAUSA CREATI
A.D. VI. ID. MAI. MCMX.
AB AUGUSTO LOVE PHILOSOPHIAE NATURALIS
PROFESSORE SEDLEIANO RECITATA.



Nulli profecto ex eis qui hodie hominum naturae student posthabendus est AEMILIUS CARTAILHAC. Qui vir annos viginti quattuor natus commentarios in hoc genere apud Gallos eo tempore maximi habitos, in quibus gentium inculturarum mores et vetustatis obsoletae reliquiae tractabantur, edendos suscepit. Quo munere viginti annos functus, cum res ex omni parte terrarum allatas scrutaretur, cum in ea loca ubi eiusmodi monumenta invenienda sunt ipse multas peregrinationes faceret, adeo incendit civium suorum studia ut diversis auctoribus quasi symbolam conferentibus maxima illa Acta conflata sint, quibus edendis ipse multos annos praefuit, quibusque etiam nunc curam impertit. Academiarum quoque Gallicarum rectoribus persuasit ut discipulos in his rebus institui iuberent: ipse Tolosae in sua urbe atque Academia iuniorum studia dirigit. Nihil profecto his diebus magis admirati sumus quam rudes illas picturas in cavernis ubi habitabant homines pristini inventas. Huiusmodi monumentis, quibus maxime abundant Hispania septentrionalis et australis Gallia, hic noster maximam operam dedit, eademque pulcherrime expicta in medium protulit. Iure igitur hic vir tanta doctrina ornatus, scientiae tam deditus, apud cives suos iam dudum nobilis, ubicunque homines haec studia colunt insigni laude celebrandus est.

LAUDATIO

AEMILII CARTAILHAC

DOCTORIS IN SCIENTIA HONORIS CAUSA CREATI

A.D. VI. ID. MAI. MCMX.

AB AUGUSTO LOVE PHILOSOPHIAE NATURALIS

PROFESSORE SEDLEIANO RECITATA.



Nulli profecto ex eis qui hodie hominum naturae student posthabendus est AEMILIUS CARTAILHAC. Qui vir annos viginti quattuor natus commentarios in hoc genere apud Gallos eo tempore maximi habitos, in quibus gentium inculturarum mores et vetustatis obsoletae reliquiae tractabantur, edendos suscepit. Quo munere viginti annos functus, cum res ex omni parte terrarum allatas scrutaretur, cum in ea loca ubi eiusmodi monumenta invenienda sunt ipse multas peregrinationes faceret, adeo incendit civium suorum studia ut diversis auctoribus quasi symbolam conferentibus maxima illa Acta conflata sint, quibus edendis ipse multos annos praefuit, quibusque etiam nunc curam impertit. Academiarum quoque Gallicarum rectoribus persuasit ut discipulos in his rebus institui iuberent: ipse Tolosae in sua urbe atque Academia iuniorum studia dirigit. Nihil profecto his diebus magis admirati sumus quam rudes illas picturas in cavernis ubi habitabant homines pristini inventas. Huiusmodi monumentis, quibus maxime abundant Hispania septentrionalis et australis Gallia, hic noster maximam operam dedit, eademque pulcherrime expicta in medium protulit. Iure igitur hic vir tanta doctrina ornatus, scientiae tam deditus, apud cives suos iam dudum nobilis, ubicunque homines haec studia colunt insigni laude celebrandus est.

Ms. 2253(6-74)

LAUDATIO
AEMILII CARTAILHAC
DOCTORIS IN SCIENTIA HONORIS CAUSA CREATI
A.D. VI. ID. MAI. MCMX.
AB AUGUSTO LOVE PHILOSOPHIAE NATURALIS
PROFESSORE SEDLEIANO RECITATA.



Nulli profecto ex eis qui hodie hominum naturae student posthabendus est AEMILIUS CARTAILHAC. Qui vir annos viginti quattuor natus commentarios in hoc genere apud Gallos eo tempore maximi habitos, in quibus gentium inculturarum mores et vetustatis obsoletae reliquiae tractabantur, edendos suscepit. Quo munere viginti annos functus, cum res ex omni parte terrarum allatas scrutaretur, cum in ea loca ubi eiusmodi monumenta invenienda sunt ipse multas peregrinationes faceret, adeo incendit civium suorum studia ut diversis auctoribus quasi symbolam conferentibus maxima illa Acta conflata sint, quibus edendis ipse multos annos praefuit, quibusque etiam nunc curam impertit. Academiarum quoque Gallicarum rectoribus persuasit ut discipulos in his rebus institui iuberent: ipse Tolosae in sua urbe atque Academia iuniorum studia dirigit. Nihil profecto his diebus magis admirati sumus quam rudes illas picturas in cavernis ubi habitabant homines pristini inventas. Huiusmodi monumentis, quibus maxime abundant Hispania septentrionalis et australis Gallia, hic noster maximam operam dedit, eademque pulcherrime expicta in medium protulit. Iure igitur hic vir tanta doctrina ornatus, scientiae tam deditus, apud cives suos iam dudum nobilis, ubicunque homines haec studia colunt insigni laude celebrandus est.